

primantur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

XIV. Quod autem dicitur in *Pallio* contineri plenitudinem Pontificalis Officii cum Archiepiscopalis nominis appellatione, reperitur quoque in *Cap. 3. De usu & auct. Pallii*. Id tamen nequaquam hoc sensu accipiendum est, quasi ipsum *Pallium* aliquam revera Ordinis potestatem ipsi Consecrato tribueret; cum sit merum externum aliquid ornamentum, sed quod ante illius receptionem ex jure merito positivo, seu consuetudine jam recepta Metropolitanani nec suas funciones obire, nec nomen Archiepiscopi assumere queant; quae disciplina quo praecise tempore invaluerit, incertum est; videtur autem tempore Concilii VIII. Oecumenici saltem in Oriente fuisse notam; & ex Oriente ad Latinam Ecclesiam transiisse. Quidquid sit, certum est, quod hodie Metropolitanani ante receptum *Pallium* nec Synodos celebrare, nec Episcopos consecrare valeant; quin imo neq; Sacros Ordines conferre, neq; Christum consecrare, nec dedicare Basilicas, quamvis ea Episcopi consecrati sine *Pallio* possint; Cum ait Innocentius III. in *Cap. 23. De electione* id non tamquam simplex Episcopus, sed tamquam Archiepiscopus facere videatur.

XV. Cum vero *Pallium* delignet plenitudinem Pontificalis Officii; atq; inter Pontificalia ornamenta praecipuum sit, facile hinc deducitur, quod illo in aliena Diocesi sine licentia Ordinarii uti non possit; cum nec hic Pontificalibus uti ei permissum sit; at ipsius *Pallii* usus restrictior est quam Pontificalium. Nam in ipsa datione *Pallii* dicitur: *Tradimus tibi Pallium, ut eo intra Ecclesiam tuam utaris.* Quod ita intelligitur (ait Pontifex in *Cap. 1. De Auctoritate & usu Pallii*) videlicet intra quamlibet Ecclesiam, Provinciam ubi commissa. Si vero facis indutum, vestibus Ecclesiam processionaliter, vel alio modo exire contigerit, tunc tuo *Pallio* minime uti debes.

In hoc igitur restrictior est usus *Pallii*, quam Pontificalium, quod his etiam extra suam Ecclesiam materialiter uti queat, non autem *Pallio*.

Quod vero permittatur intra quamlibet Ecclesiam Provinciam sibi commissa *Pallio* uti, id nequaquam usum *Pallii* extensorem facit, quam Pontificalium: quia ante Concilium Tridentinum, etiam usus Pontificalium Metropolitanano intra quamlibet Ecclesiam provinciam sibi commissa licitus erat. Synodus vero Tridentina usum Pontificalium in aliena Diocesi sine consensu Ordinarii inhibens, etiam usum *Pallii* inhibuisse censenda est.

Ad haec non tantum quoad loca, sed & tempora usus *Pallii*, juxta jus commune & hominum restringitur; asseritq; Innocentius III. in *Cap. 4. De Auctoritate & usu Pallii*, quod solus Romanus Pontifex in Missarum solemnibus *Pallio* semper utatur & ubiq; Quoniam, ait, assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticae potestatis quae per *Pallium* significatur. Alii autem eo, nec semper nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus. Quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Qui autem sint illi dies & tempora quibus aliis Metropolitanis, aut Episcopis, quibus ex speciali privilegio usus *Pallii* est indultus, *Pallio* uti liceat, annotat Glossa ad capitulum Capitulum 4. & latius exprimit modernum Pontificale Romanum.

Et quidem hanc limitationem ad certa tempora etiam apud Graecos seculo IX. receptam fuisse, colligitur ex Concilio VIII. Oecumenico, ubi Canone 14. ex editione Graeca legitur: Sancimus, ut designati ad *superhumeralia* & *geaada* Episcopi certis sicut temporibus, temporibus

illis ea & locis gestent, nec hujusmodi cultu per factum & superbia abutantur, aut quovis tempore divini Sacramenti, & quacumque Ecclesiastica functione ferant.

Anastasius Bibliothecarius per *superhumeralia* hie *Pallia* intelligi nequaquam dubitavit: ita enim verit ex Graeco: *Quibus concessum est PALLIUS uti.* In hac Anastasii editione hic Canon numeratur 27. atq; ex illo Canone praeterea elicitur; eo saltem tempore non omnibus Episcopis usum *Pallii* etiam in Ecclesia Graeca concessum fuisse; quamvis hodie omnes illo utantur, ut observat Goartius in notis ad Rituale Graecorum pag. 312.

XVI. Deniq; notandum, *Pallium* esse ornamentum adeo personale, ut Celestinus III. in *Cap. 3. De Auctoritate & usu Pallii* responderit cuidam ipsam interroganti quod non videatur esse conveniens, ut *Pallium* tuum alicui commodes; cum *Pallium* in personam non transeat, sed quisque debeat cum eo (sicut tua novit discretio) sepeliri.

Imo si Archiepiscopus de una Ecclesia Metropolitanana ad aliam transferatur, *Pallio*, quod acceperat, uti non potest; multo minus Praedecessoris defuncti seu translatis, sed debet de novo aliud petere & obtinere; & interim ab omnibus functionibus, quae sine *Pallio* exerceri nequeunt, abstinere; uti praescribit pontificale Romanum.

Juramentum quod hodie exigitur in traditione *pallii* penitus incidit cum juramento, quod ab omnibus Episcopis in consecratione exigitur; illudque in datione *pallii* circa seculum XI. exigi coepisse, ostendimus Tit. 15. a. 2.

XVII. Deniq; sicut traditio *pallii* perit Archiepiscopum & plenitudinem pontificalis officii confertur, & ademptio *pallii* jam pridem signum fuit exauctorationis & depositionis, vel abdicacionis sive renunciationis.

Liberatus Diaconus in Breviario c. 2. 1. ait: *Animum videns se Sede pulsum, PALLIUM quod habuit Imperatoribus tradidit.* Et c. 2. 3. ita de Paulo Alexandrino Patriarcha Aufferentes Paulo PALLIUM deposuerunt. Anastasius in vita sylvesterii: Joannes Subdiaconus tulit *Pallium* de collo ejus, & exspoliatus eum induit veste monachica. Item apud Floardum lib. 4. c. 4. 5. ita loquitur Aitaldus Remensis Episcopus: Qui postquam me in potestate sua conspicuit, querere coeperunt, ut eis *pallium* a Sede Romana mihi collatum traderem, & Sacerdotali ministerio penitus abdicarem.

XVIII. Insigne quoque particulare Archiepiscoporum seu Metropolitanorum est *Cruce* quam ante se elevatam in signum jurisdictionis & potestatis deferri faciunt.

Hoc in signum primum Legatus Apostolicus a Sede Apostolica concessum, ac deinde Patriarchis ac Primatibus indultum fuisse, multis ostendit Ludovicus Thomasinus De disciplina Ecclesiae parte 4. lib. 1. c. 39. Ac demum cum variis Metropolitanis per speciale privilegium a Sede Apostolica esset indultum, tandem in signum omnibus Archiepiscopis commune factum est; illudq; sat aperte suppositum Concilium Viennense V. in *Clementina 2. De privilegiis*: Archiepiscopo per quovis loca exempta sua Provinciam facienti transitum, aut ad ea forsitan declinanti, ut *Crucem* ante se liberè portare faciat... sacro probante Concilio praesentis constitutionis serie duximus concedendum.

Hanc *Clementinam* recepit & probavit Clerus Gallicanus an 1635. nihilominus eam restringendam ad terminos Concilii Tridentini *sess. 6. c. De Reform.* bene advertit Zypæus ad titulum de Officio Ordinarii n. 18. & notatum fuit supra tit. 16. c. 2. ubi quoque n. 13. observavimus, Archiepiscopos non posse incedere *Cruce elevata* extra limites suae jurisdictionis,

## TITULUS XX.

## De Synodis Provincialibus.

## CAPUT I.

Quoties Synodus Provincialis celebranda, & qui illi interveniant?

- 1 Synodos Provinciales indicere est Metropolitanani.
- 2 Illo impedito Comprovincialis senioris.
- 3 Olim Synodus Provincialis bis singulis annis haberi debebat.
- 4 Labente tempore semel in anno haberi coepit.
- 5 Hac moderatio primum licet aegre, tamen admissa fuit ab Ecclesia Graeca.
- 6 Eam etiam toleravit Ecclesia Latina.
- 7 Saeculo XIII. summus fuit in celebrandis his Synodis defectus.
- 8 Hic defectus effecit ut tandem ad Triennium protrahita sit celebratio Concilii.
- 9 Synodus Tridentina tantum singulis trienniis jubet celebrare Synodum.
- 10 Optat Synodus Tridentina frequentiore Synodorum celebrationem.
- 11 Collapsio disciplinae imputanda pro magna parte defectui Synodorum.
- 12 Synodo interesse debent omnes Provinciae Episcopi.
- 13 Quid de Episcopis nulli Archiepiscopo subiectis?
- 14 Qui praeter Episcopos Synodo interesse debeant pendet a consuetudine.
- 15 Qui prima Synodo Provinciali Cameracensi interfuerunt.
- 16 Soli Episcopi suffragium habent declivum; alii tantum conatuvum.
- 17 Quod si Episcopi dissentiant à Metropolitanano, Episcoporum suffragia prevaleant.
- 18 Metropolitanus solus Synodum dissolvere; aut aliquid in eo faciendum mandare non potest.



Concilium Provinciale dicitur, ad quod una cum suo Metropolitanano conveniunt totius Provinciae Episcopi.

I. Concilium à Metropolitanano convocandum esse adeo verum est, ut Episcopi Provinciae convenire sine ejus consensu nequeant; quem admodum conceptis verbis definiit Concilium Antiochenum *Can. 20.* Postquam enim conformiter ad Canonem 5. Nicenum statuit, bis in anno celebrandas esse Synodos Patrochiales, subjungit: Nullus verò liceat apud se Synodos per se facere sine iis, quibus sunt creditae *Metropoles*: Nimirum Provinciales, de quibus unice in hoc & alii istius Synodi Canonibus actum fuit.

Imò illud Concilium perfectum dicitur à Patribus Antiochenis, cui Metropolitanus interest. Sit autem inquit, illa perfecta Synodus, cui una quoque adest Metropolitanus. *Can. 16.*

II. Metropolitanus verò legitime impedito Comprovincialis antiquior ex Decreto Synodi Tridentinae *sess. 2. c. 3. De reform.* Synodum Provinciale convocat. Idemque esse, Sede Metropolitanana vacante, docet post alios Fagnanus ad *Cap. Cum olim*: *De accusationibus n. 17.*

III. Synodus haec secundum pristinas Patrum Regulas bis in anno celebranda erat. Synodi autem fiant (nimirum Provinciales) una quidem, ait Synodus Nicæna *Can. 5.* ante quadragesimam, ut omnibus animi sordibus sublatis, purum munus Deo offeratur: secunda autem autumnali tempore.

Hunc Canonem renovantes Patres Concilii Antiocheni an. 341. *Can. 20.* statuerunt, ut propter usus Ecclesiasticos, & pro componendis controversiis, Synodi Episcoporum in unaquaque Provincia fiant bis in anno.

Patres Synodi Calchedonenis intelligentes, quod in

Van Espere *In Eccl. P. 1.*

Provincia constituta Episcoporum Concilia minime celebrarentur, statuere secundum *Regulas Patrum* bis in anno in unum convenire Episcopos, ubi singula, quae emerferint, corrigantur. *Can. 19.*

Hos aliosq; plures pristinos Patrum Canones binas per annum Synodos praescribentes, refert Gratianus *Dist. 18.*

IV. At labente tempore cum difficile videretur ac incommodum, toties Episcopos convenire, paulatim ad annum celebratio Synodorum Provincialium protrahi coepit.

V. Et quidem Justinianus Imperator de his Synodis loquens ait: Quando autem quod in Canonibus cautum est de Synodis Sanctissimorum Episcoporum per singulas Provincias congregandis, hucusque observatum, minime est, illud imprimis corrigere necessarium est. Deinde adducto Canone 36. Apostolorum quo jubetur, ut bis in anno Synodi Provinciales congregentur, concludit: nos autem invenientes quod ex hujusmodi negligentia multi diversis peccatis implicati sunt, jubemus omnibus modis unam Synodum fieri singulis annis in singulis Provinciis, mense vel Junio, vel Septembri. *Novel. 137. cap. 4.*

Synodus Quina seu Trullana volens omnia quae à Sanctis Patribus decreta fuerunt, rata ac firma esse, Canonem quoque renovat, qui jubet uniuscujusq; Provinciae binas quotannis Synodos fieri, ubi Metropolitanus Episcopus latius esse aucterit. Quoniam autem propter Barbarorum incursionem, inquit, & quosdam alias incidentes causas non possunt, qui Ecclesiis praesident, Synodos bis in anno facere visum est, ut omnino semel in anno propter Ecclesiasticas quaestiones, ut consentaneum est, emergentes, fiat dictorum Episcoporum Synodus à S. Pascha festo & usque ad Octobris mensis complementum singulis annis, in loco, quem, ut praedictum est, Metropolitanus Episcopus aptiorem judicaverit.

Hic patet Synodum hanc optasse quidem, ut Canon duas quotannis Synodos requirens, fuisset servatus; nec eum abrogatum exstimaret; sed non nisi ob necessitatem permisisset, ut semel tantum in anno congregaretur; quod & Synodus VII. *Can. 6.* similiter permittit.

VI. Similem Canonum moderationem quoad celebrationem Synodorum Ecclesia Latina aegre quidem, sed necessitate coacta paulatim admisit; uti constat ex Concilio Toletano III. *Can. 18. S. Gregorio lib. 7. Epist. III.* Concilio Parisiensi VI. *Cap. 26.* quae tamen una innunt, Canones Patrum binam in anno Synodum requirentes in suo robore manere.

Haec interim moderatio ob solam necessitatem admiffa, adeo tandem invaluit, scilicet unam tantum esse Synodum annue celebrandam, ut obliterata Patrum disciplina de bina Synodorum annuatim celebratione, hanc moderationem quasi à Sanctis Patribus promanantem Innocentius III. in Concilio Lateranensi observari voluerit in *Cap. Sicut olim*: *De accusationibus*, Sicut olim, inquit, à Sanctis Patribus nolebat institutum, Metropolitanani singulis annis cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare.

VII. Verum nec hoc Decretum tantà moderatione conceptum, potuit vel annuam Synodorum Provincialium congregationem efficaciter persuadere; adeo ut Gregorius XI. scribat ad Archiepiscopum Narbonensem an. 1275. quod celebratio Conciliorum ubi, quae fore terrarum, quod, inquit, dolenter, referimus, longis temporibus esset negligenter omiffa: propter quod idem Clerus ab honestate sui primævi status non modicum excidit, multipliciter in devium declinavit &c.

N

VIII. Hæc



VIII. Hæc negligentia in convocandis Conciliis Provincialibus cum continuo magis magisque cresceret, ac tandem omnis pene eorum ulus penitus cessaret, cum summa in doctrina ac disciplina deformatione, Patres Basilienfes attendentes ab una parte necessitatem Conciliorum; & ab alterâ quàm difficulter etiam annuam celebrationem reducerent, decreverunt, ut ad minus semel de triennio ad triennium Concilium Provinciale celebraretur; quam moderationem Concilia quædam particularia, nec non Leo X. in Synodo sua Lateranensi admiserunt.

IX. Ipsa tandem Synodus Tridentina hanc moderationem admittens statuit, ut "Metropolitani per seipfos, seu, illis legitime impeditis Coepiscopus antiquior intra annum ad minus à fine præsentis Concilii, & deinde, quolibet saltem triennio post octavam Paschæ Resurrectionis Domini N. J. C. seu alio commodiori tempore, pro more Provincia non prætermittat Synodum in Provincia sua cogere." Sess. 24. c. 2. De reform.

X. Ex verbis Decreti nequaquam obscurum est, Patres Tridentinos non quidem pristinos Ecclesiæ Canones frequentiorum Synodorum celebrationem præscribentes abrogasse; sed dumtaxat præscripsisse, ut saltem singulis trienniis Synodus Provincialis cogeretur: ut consequenter voto Patrum Synodi Tridentinæ obsequerentur Episcopi, qui frequentius, quam singulis trienniis Synodos celebrarent.

XI. Sed præ dolor ea est temporum nostrorum miseria ac iniquitas, ut nec singulis trienniis; imò nec vicenniis Synodus Provincialis habeatur; imò jam anni sunt ferè nonaginta quod Belgium nostrum Synodum Provinciale congregatam non viderit.

Examinent ipsi Metropolitani alivæ qui ut Synodi cogantur curare debent, quomodo Deo & Ecclesiæ (quæ per multiplices pœnas, quas negligentibus minatur, enixam suam voluntatem sufficienter expressit) respondeant, Hoc fat constat, per hunc Synodorum neglectum, Ecclesiæ disciplinam ita esse collapsam, ut vix vestigium super sit; vitiaque omnia ubique ita invaluisse, & abundare, ut pro nihilo reputentur; & populus iniquitatem quasi aquam bibere, videatur.

XII. Synodo Provinciali interesse debere, atque ad eam esse vocandos omnes totius Provinciae Episcopos indubitatum est; & Canones supra citati expriment. Imò si quis Episcoporum commonitus à Metropolitanò, "ad Synodum, nullâ gravi intercedente necessitate, corporaliter venire contempserit (sicut Patrum statuta sanxerunt) usque ad futurum Concilium cunctorum Episcoporum charitatis communione privetur" Dist. 18. can. 14.

XIII. Si verò sint "Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subijciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant; in cujus Synodo Provinciali," (ait Synodus Tridentina loco citato) "cum aliis interesse debeant; & quæ ibi ordinata fuerint, observent ac observari faciant."

XIV. Qui verò præter Episcopos ad Synodum Provinciale vocandi sint non è jure scripto dumtaxat; sed vel maxime à consuetudine desumi debet; quod & Synodus Tridentina innuit, dum monet Metropolitanum Synodum in sua Provincia cogere, "quo Episcopi omnes; & alii, qui de jure vel de consuetudine interesse debent, convenite omnino teneantur."

XV. Synodo Provinciali Cameracensi anno 1565. præter Episcopos Suffraganeos interfuere atque eidem subscriperunt primo loco Capitulum Cathedralium Deputati; post hos, variorum Ordinum Abbates, alii nomine proprio, alii per procuratores; deinde Abbatissæ quoque per suos procuratores.

Hos sequuntur Ecclesiarum Collegiarum Deputati, quos excipiunt nonnulli Præpositi, Priores & una Priorissa. Denique subscribunt Archipresbyteri seu Decani Christianitatis Diocesis Cameracensis, tam suis, quam Curatorum suorum Decanatum respectivè nominibus,

XVI. Quicumque verò præter Episcopos sive de jure, sive de consuetudine Synodo Provinciali interfunt, votum consultivum dumtaxat habere communiter receperunt est; refertque Fagnanus ad Cap. Et si membra. De his qua sunt à Prelato &c. n. 53. "Abbatibus Commendatariis & Capitulum Deputatos vocem dumtaxat conferunt in Concilio Provinciali habere. Episcoporum verò procuratores posse habere etiam decisivam, si Concilio Provinciali placuerit."

Ita quoque responsum fuit à Pontifice auditâ prius relatione Congregationis Concilii, occasione difficultatum quas ad Sedem Apostolicam remiserant Patres Concilii Rothomagensis anno 1581. & habentur responsa una cum difficultatibus propositis tomo 15. Concil. General. col. 871.

XVII. Soli itaque Episcopi Comprovinciales cum Metropolitanò vocem decisivam obtinent; unaque cum Metropolitanò judicant: "Si igitur Metropolitanus est unicus, sententia & Suffraganeis alterius, S. D. N. dixit, inquit Fagnanus, sententiam prævalere Suffraganeorum, & hoc quia habent votum decisivum, & sunt conjudices." Ad Cap. Sicut olim. De Accusat. n. 104.

XVIII. Eodem fundamento, "Archiepiscopus non potest dissolvere Synodum, nisi de consilio & assensu Coepiscoporum; nec nisi de eorumdem consilio & assensu cuiquam silentium indicere, vel jubere aliquid scriptum aut libellum legi aut non legi ait Fagnanus loco citato."

CAPUT II.

Quæ in Concilio Provinciali tractanda?

- 1 Synodus Nicæna vult Synodos haberi ut excommunicationes ab Episcopis inflicte examinentur. (di.)
- 2 Quis se lesos ab Episcopis existimant in Synodis audiant.
- 3 Accusationes etiam contra Metropolitanum in Synodo discutienda.
- 4 Causa etiam criminales Episcoporum indistinctè olim Synodos terminabantur.
- 5 Hodie distinctio adhibenda.
- 6 In Synodis vitia corrigenda, & mores reformandi.
- 7 Quis modus servandus in vitiis corrigendis?
- 8 Quæ ratio inveniunda in reformatione morum?
- 9 Patrum disciplinam Episcopi sibi ob oculos ponere debent.
- 10 Zelus Matthiæ Hovii Archiepiscopi Mechliniensis in restituenda integrâ disciplina.
- 11 Ad integram reformationem suos animabat Metropolitanus Cameracensis.
- 12 Decretum S. Caroli pro assequendo feliciori Synodorum effectu.
- 13 Testes Synodales convenientes pro facilitando Synodorum operato exitu.
- 14 Ut perfecta morum ac disciplina reformatio obtineatur conveniens est crebra Synodorum celebratio.
- 15 Id expertus fuit S. Carolus.
- 16 Quare in Synodis Belgicis immediatè post Synodum Tridentinam habitis non sit expressa perfecta morum disciplina.

I. Synodus Nicæna postquam declaravit, ut obtineat sententia secundum Canonem, qui pronuntiat eos, qui ab aliis ejeti sunt, non esse ab aliis admitteudos subijcit. "Examinetur autem nunquid vel pusillanimitate, vel contentione, vel aliâ qua hujusmodi Episcopi acerbitate, congregazione, pulsati sint. Ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, rectè habere visum est, ut singulis annis in unaquaque Provincia bis in anno Synodi fiant." Can. 5.

Hic

Hic manifestum est Synodum Nicænam indictas voluisse Synodos Provinciarum, ut examinaretur, num Episcopi in excommunicatione ferenda rectè processerint.

II. "Propter utilitates Ecclesiasticas, & absolutiones earum rerum, quæ dubitatione controversamq; recipiunt optimè placuit (ait Concilium Antiochenum Can. 20.) ut per singulas quasque Provincias bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur. In ipsis autem Conciliis ad sint Presbyteri & Diaconi, & omnes qui se laicos existimant, & Synodi experiantur iudicium."

Plura uno verbo complectens Synodus Calchedonensis vult, "ut bis in anno eundem in locum conveniant cujusque Provinciae Episcopi, ut Metropolitanus melius esse perspexerit, & singula emergentia corrigant." Can. 19.

III. Primo itaque loco in Synodo Provinciali discutenda controversiæ seu quæstiones à quibuscumque ad Synodum delata. "Quapropter, inquit Fagnanus loco citato nu. 41. expostulantium querelæ & accusationes non modò contra inferioris Ordinis Clericos, sed potissimum contra Episcopos, ipsi sumque Metropolitanum à quibus auribus excipiuntur, & prout iustitia sua sententiam minabuntur."

IV. Et sane negari non potest, quin controversiæ atque querelæ Ecclesiasticorum, & Laicorum contra Episcopos in Synodis Provincialibus olim terminari solerent; imò & accusationes quascumque etiam in causis criminalibus, quæ depositione mulctandæ erant, in Synodis iusticiæ & terminari solitas fuisse expeditum est.

V. Nihilominus quoad causas criminales Episcoporum hodie distinctio est adhibenda ex præscripto Synodi Tridentinæ, ut graviores quidem, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Pontifice cognoscantur & terminentur, uti supra monui; minores verò in Concilio tantum Provinciali cognoscantur & terminentur; quæ si pleniores probationes & cognitionem postulerent, quàm ut brevi illo tempore quo Synodus Provincialis est congregata expediri possint, iudicibus à Synodo Deputatis cognoscendæ committentur ad præscriptum Synodi Tridentinæ Sess. 24. c. 5. De reform.

VI. Præter controversiarum ac querelarum decisionem, Synodis Provincialibus allaborandum est, ut vitia, abususque corrigantur, ac mores ad optimam Sacrifque Canonibus conformem disciplinam revocentur. "Sicut olim à sanctis Patribus noscitur institutum, ait Concilium Lateranense sub Innocentio III. Metropolitanis singulis annis cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant celebrare Concilia: in quibus de corrigendis excessibus & moribus reformandis, præsertim in Cleto, diligentem habeant cum Dei timore tractatum." Cap. 25. De accusat.

VII. "In delictis corrigendis" (inquirebat S. Carolus ad Patres in primo Mediolanensi Provinciali Concilio congregatos) "illa nobis inveniunda ratio est, ut pro vi & modo morborum, ægrotorumque natura, medicinam accommodemus, nunc levibus admonitionis & objurigationis remediis errata castigantes, nunc acriori curatione utentes; denique exulceratis partibus ferrium & ignem admoventes, quemadmodum mali ratio, & contagionis periculum postulabit, memores semper nos esse Patres, non Dominos."

VIII. "Morum autem disciplinam, pergit Zelosissimus Antistes, facile restituemus, si qua ratione, quibusve factis primùm constituta, diuque conservata est, eandem nos in restituenda adhibebimus, illorum vestigia persequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis, Deo auctore, sui virtute pepererunt. Proponamus nobis quæso, Patres, illorum vitæ sanctitatem, & in administratione sui officii sapientiam. Erant integri, casti, simplices, modesti, humiles, bene morati, in oratione & lectione assidui, sui despicientes, in alienæ salutis cura & cogitatione defixi, consilio, & operâ benigni, hospitales, in domestico cultu & victu

Van Espen Jus Eccles. P. 1. N 2

parci, in alios benefici & liberales. Erant vigilantes super gregibus suis, vineam Domini summa diligentia, & labore colentes & custodientes. Pascebant assidue oves sibi committas triplici salutis cibo, verbo, exemplo, & sacramentis; memores quoque & imitatores summi Pastoris Christi, qui pro universo grege suo sanguinem & vitam profudit, ipsi pro suarum ovium incolumitate quemvis excipere laborem, subire omnes casus, omnem vim, atque injuriam perferre, denique ut bonus ille Pastor Evangelicus, animam suam pro ovibus ponere non dubitabant, nullum inde hujus vitæ fructum expectantes, ut maximos cœlestis retributionis fructus consequerentur. Hæc si, ut debemus, Patres, ante oculos habebimus, facile intelligemus, quid in re, institutione Ecclesiasticæ disciplinæ nobis sit hoc tempore, re agendum. In quo illud etiam animadvertendum erit, ut, quemadmodum in conformanda, & constituenda Ecclesiastica ratione Christus Dominus ab ipsis Apostolis, quos Christianæ vitæ magistros esse voluerat, initium fecit: sic nos à nobis ipsis Pastoribus quos vendi exempla & præcepta aliis tradere oportet, in conformanda restituendaque morum disciplina exordiamur."

IX. Quam verò morum disciplinam restaurare; aut ut minus præ oculis habere debeant Episcopi ab ipso rursus Sanctissimo Metropolitanò accipiamus: "Non adumbratam quamdam (ait ad Patres in secundo Provinciali Concilio congregatos) sed expressam illam disciplinam Christianæ formam, afflante Spiritu sancto, Decretis nostris restituere curemus, quam pascente Ecclesia instituit vivus sermo Dei. Efficax penetrabilior omni gladio accipit, pervigens usque ad divisionem animæ ac spiritus compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Nam si vitorum semina non funditis tollere studemus, sed satis id esse putamus, ut externa quædam tantum, quæ oculis offensiolem in vulgus præbent, quasi levi manu emendemus; id nobis eveniet quod agricolis, qui dum herbas inutiles radicitus evellere negligunt, quæque solum è terra extant, amputant, ne agrum quidem à stirpibus noxiis purgant, sed etiam quod planè nolunt, id sanè efficiunt, ut ubertiores paucis post diebus emanent. Nec verò est cur à muneris nostri ratione deterreamur, vel quia his pastoralibus nostris studiis actionibusque animos eorum exulcerari videamus, qui filii sunt perditionis; vel quia populares illæ, quibus quasi ficus foliis deformes; praviq; mores contegi solent, voces audiantur: non fecerunt hæc tempora veterum Canonum severitatem: sic jamdiu viximus, sic vixerunt; ita egerunt qui ætate antecesserunt; vitæ institutum nihil est quod mutemus. At nos hæc, atque adeo alia ejusmodi contemnamus, proponamusque nobis ob oculos libertatem illam spiritus, & virtutem, quâ armati patres nostri Apostoli, qua muniti Martyres, qua instructi nostri ordinis sanctissimi homines, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, hujus Ecclesiæ antistes, quâ affecti alii religiosi viri, Apostolico quodam animorum ardore flagrant, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus, quasi tribunitiis fracti, nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commissa salute, forti, constantique animo adhibuerunt, illam quasi censoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem. Eorum ferè exemplo adducti nos quoque, Apostolica illa constantia & Evangelica virtute, quâ una nihil est in Ecclesiasticis Pastoribus illustrius, nihil magis necessarium, sine metu, & constanter certè agamus, atque adeo perficiamus, quod Evangelium docet, quod Christus jubet, quod ratio præcipit, quod gregis salus, quod Ecclesiæ auctoritas dignitasque postulat."

X. Eodem spiritu suos animabat magnus ille Mechliniensis Provinciae Metropolitanus Matthias Hovius: "Evellamus, inquit, quæ in agro Dominico deprehendimus succrevisse zizania, quæque in arvis Domini

sub-